



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 483. Usque Ad Annum 561.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1759**

**VD18 90117824**

§. 42. Legatorum iter.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66066](#)

Sæculum VI. *bitis prælegi libellum, quem ipse, & alii*  
A.C. 519. *quos adjuvante Divina Gratia recipietis,*  
*vobis obtulerint; si id fieri nequeat, il-*  
*lum saltem in Aula secreta præsentibus*  
*Clericis, & Abbatibus legi curabitis. Im-*  
*peratorem deinde rogabitis, ut Epistolas*  
*sueas ad Metropolitanos unacum Epistolis*  
*Episcopi Constantinopolitani mittat, qui-*  
*bis significet, bunc Episcopum, cum Fidei*  
*Formulam a Sacra Sede missam professus*  
*esset, ad Ejusdem Sedis Communionem*  
*fuisse receptum, & hortetur, ut exemplum*  
*sequantur. Si Imperator tergiversetur,*  
*Episcopus Constantinopolitanus mandata*  
*ad Episcopos suæ Provinciæ, aliosque Me-*  
*tropolitas mittet, & docebit, quid ipse fe-*  
*cerit, illis, quos & vos ex parte vestra*  
*mittetis, præsentibus. Id vero ut faciat,*  
*omnino a Constantinopolitano exigatis,*  
*ne etiam remotissimi restitutam Concor-*  
*diam nesciant.*

## §. XLII.

*Legatorum iter.*

*Suggest. 2.*  
*p. 1484.*

*E*x Italia solventes Legati Aulonam,  
*quæ hodie Valona dicitur, proximum*  
*ab Occidente venientibus Portum ap-*  
*pulerunt. Episcopus loci Hospites hu-*  
*mane excepit, promisitque, se Libellum,*  
*qualem Legati exigeabant, cum suo Me-*  
*tropolita traditurum. Inde iter terre-*  
*stre prosecuti per Macedoniam Scampim*  
*perire.*

pervenerunt. Trojus Episcopus cum Sæculum VI.  
 suis Clericis & populo Cereos portante A. C. 519.  
 & militibus præferentibus Cruces ipsis  
 obviam venit. Tum simul omnes in  
 Ecclesia S. Petri congregati. Episcopus  
 Formulæ nomine Summi Pontificis sibi  
 oblatæ præsentibus Clericis suis & Opti-  
 matibus Civitatis subscrispsit. Id Lega-  
 ti a Petro Ecclesiæ Romanæ Notario pu-  
 blice legi jusserunt. Laudabat populus  
 Deum & effusis lacrymis maximam te-  
 stabatur lætitiam. Germanus Episcopus  
 unus Legatorum Missam celebravit. In  
 Diptychis Hormisdæ Papæ Nomen le-  
 dum, nullius autem nomen alterius, qui  
 in Fide suspectus esse posset; promise-  
 runt etiam nullius Episcopi nomen im-  
 posterum inserendum, nisi illorum, quos  
 Sacra Sedes recepisset. Finita Missa,  
 hora Cœnæ, ad duos Legatos invise-  
 runt duo Comites Stephanus & Leon-  
 tius, qui ab Imperatore Legatis obviam  
 missi usque in Italiam profecturi erant,  
 nescientes ipsos jam usque in Græciam  
 processisse. Stephanus sanguine Vita-  
 lianum contingebat.

Inde Legati Lignidam, seu Lychni-  
 dum profecti ab Episcopo Theodoreto <sup>3. Sugg.</sup> p. 1485.  
 eadem humanitate & benevolentia sicut  
 ante a Scampensi excepti sunt. Is Li-  
 bellum suum dedit, qui in Ecclesia lectus  
 est, & omnia secundum Papæ Mandata

Sæculum VI. peracta. Legati ista Papæ datis litteris  
A.C. 519. 7. Martii 519. retulerunt. At iisdem

*Sugg. Diosc.* Thessalonicæ contra Dorotheum Episcopum, quem semper Schismati addictum  
*p. 1489.* omnes ferebant, fortiter certandum fuit.

Nihilominus Legatorum argumentis de rei æquitate convictus videbatur, promisitque se Libello subscripturum, sed rem distulit, obtendens, omnes Episcopos Provinciarum suarum non adesse; dixit, velle se ipsos convocare post Pascha, quod non longe aberat, & illo anno 519. trigesima prima Martii celebrandum erat. Igitur pollicitus est, post Festu se Concilium congregaturum, in quo simul omnes præsente Legatorum aliquo ad idipsum Constantinopi Thessaloniam redituro subscriberent.

*Sugg. Diosc.* Tandem Legati Die Lunæ Majoris

*Sug. Germ.* Hebdomadæ 25. Martii Constantinopolim pervenerunt. Decem ab urbe mil-

liariis multi viri primi ordinis iisdem obviam processerunt. Inter illos visebatur Vitalianus Militiæ Magister, idem qui in Anastasium Imperatorem arma atripuerat, Pompejus, Justinianus, pluresque alii Senatores; omnesque Ecclesiæ Pacem ardentissime in votis habere testabantur. Legatis urbem ingredientibus maximam lætitiam populus profitebatur, Cereos portabant, & magnis laudibus Papam extollebant. Die altera quæ erat

erat Martis 26. Martii in conspectum Ju- Sæculum VI.  
 stini Imperatoris toto Senatu & quatuor A. C. 519.  
 Episcopis a Patriarcha Constantinopoli-  
 tano delegatis præsentibus admissi sunt.  
 Imperator Papæ Epistolas venerabundus  
 accipiens ad Legatos dixit: *Colloqui-  
 mini cum bujus Civitatis Episcopo, &  
 rem in pace conficite.* Legati responde-  
 runt: *Hormisdas Papa non misit nos ut  
 litigemus, sed habemus in manibus For-  
 mulam, receptam ab omnibus Episcopis,  
 qui S. Sedi reconciliari voluerunt. Ju-  
 be, ut legatur, & si quæ objicienda occur-  
 rerint, respondebimus.* Lectus est Li-  
 bellus coram Imperatore & toto Sena-  
 tu. Tum Legati dixerunt: *Jam qua-  
 tuor Episcopi, qui ab Episcopo Constanti-  
 nopolitano Legati adsunt, edicant, an ea,  
 quæ in hoc Libello continentur, Actis Ec-  
 clesiasticis non sint consentanea.* Respon-  
 derunt, omnia esse vera. Tum Legati  
 dixerunt: *Auguste! magno nos metu li-  
 berarunt, & ut Sanctos Episcopos decet,  
 locuti sunt, dum Veritati testimonium  
 reddiderunt.* Imperator ad Episcopos:  
*Si omnia vera sunt, ergo facite, quæ de-  
 betis.* Senatorum aliqui addiderunt:  
*Nos Laici sumus. Dicitis, bæc vera esse,  
 & facienda, ergo facite, sequemur præ-  
 eentes.*